



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

§. 5. Ex quibus satisfactio ac restitutio persuaderi possit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

dum ad eum accedit, inquirat. 8. Primo accessu humaniter eum salutet, dolorem ac compassionem demonstrans. 9. Loquentem patienter audiat. 10. Caveat ne tedio eum quovis modo afficiat. 11. In omnibus ita benignum, & charitativum se ostendat, ut infirmus sacerdotem amore prosequatur, libenter audiat, ultra eum ad se vocet, vel admittat facilius.

§. 2.

Infirmus primo omnium in spiritualibus iuvandus.

Prima cura sacerdotis sit, inquirere num infirmus credit ea quae necessitate tam medii, ut Deum esse, & inquirentibus se remuneratorem esse, Christum item & SS^{mam} Trinitatem; quam praecepti, ut symbolum, orationem Dominicam, Praecepta Decalogi & Ecclesie, Sacraenta maximè necessaria, credi debent. Tum ad confessionem, communionem, satisfactionem, demum etiam ad extremam unctionem inducere laboret. De his autem non ex abrupto statim dicere incipiat, sed captâ occasione ex iis, quæ ipsemet infirmus dixerit aut responderit.

§. 3.

Qualiter confessio persuadeatur.

Confessionem, si opus fuerit, etiam generali persuadet ex sequentibus. 1. Quia est remedium animæ. 2. Quia ad salutem necessaria. 3. Quia ad solam peccatorum remissionem instituta. 4. Quia sine penitentia peccatorum venia impossibilis. 5. Quia ira Dei in peccatores terribilis & certa. 6. Vindicta ac damnatio indubitate. 7. Quia Deus impenitentibus justus, penitentibus misericors. 8. Quia jam merendi tempus. 9. Quia status infirmi & cuiusvis peccatoris periculosis. 10. Quia jam sensus infirmi vigint, qui paulo post hebetari queunt, aut obscurari. 11. Quia infirmitas saepe pena peccati, quo ablato pena ceflat, sanitas reddit. 12. Quia ex confessione sequitur mirabilis conscientia quies, securitas & confortatio. 13. Quia confessio decet Christianum hominem, sine qua nec Christianus est, nec Christianorum sepultura aut suffragiis dignus. 14. Imò confessio existentibus in periculo mortis necessaria est, sub pena peccati mortalis, damnationis & maledictionis æternæ.

§. 4.

Quomodo persuadenda contritio.

Contractionem infirmo persuadere potest ex illis: 1. Quia per peccatum Deum offendit, de cuius maiestate Cœli, Angeli,

Dæmones, &c universus orbis contremiscunt.

2. Deum offendit, qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. 3. Deum offendit, qui est summè bonus & misericors, à quo tot tantaque beneficia accepit; quippe quod creatus est, quod ejus sanguine redemptus; quod catholicus, non hæreticus, quod post tot peccata non statim occisus, mortuus, damnatus; quod tot corporis & animæ commoda habuit, incommoda evasit; Hæc gratum animum requirebant, at peccato ingratissimus extitit, malum pro bono reddidit: nec tamen Deus benefacere cessavit, neque adhuc cessat, sed diem & horam ei prorogat, quo peccata sua deflere possit. 4. Quia iustitia divina Zelus tantus est, ut ne minimum peccatum, ne verbum ociosum impunitum sinat; hoc spectat exemplum Luciferi, Sodomæ, Gomorræ, Diluyi, Datan, Abiron, Ananias & Saphyræ, &c. 5. Quia tanta est abominatione peccati, ut propter illud puniatur, qui alioquin dilectissimus esset Deo, tormentis inferni sempiternis. 6. Quia contritio est necessaria pars pœnitentiaæ.

§. 5.

Ex quibus satisfactio ac restitutio persuaderi possit.

Satisfactio, quæ Deo debetur, fit contritione, confessione sacramentali, oratione, jejunio, eleemosyna. Quæ proximo fieri debet, versatur circa remissionem offense, vel restitutionem alieni. Remissio offendæ persuaderi potest ex infra dicendis; Restitutio ex istis: 1. Quod alioquin peccatum non dimittitur. 2. Quod bona iniqua saepe alia absorbeant. 3. Quod nihil secum auferet quam animam, virtutes & peccata. 4. Quod etiam de obolo injusto reddet rationem. 5. Quod de injuste possessis saepe non gaudeat tertius hæres. 6. Quod male parta, male dilabuntur. 7. Quod, propter injusta bona parentum, Deus saepe maledicit toti generationi spiritualiter & temporaliter. 8. Quod propter filios aut respectum hominum, nemo debet damnare animam suam in aeternum, quia filius, aut quisquam aliis non teneret forte unum digitum in ignis ardore per medium horulam, nedum aeternaliter animam simul & corpus. 9. Quod filii & hæredes saepe sunt ingrati, nec memores beneficiorum illius, à quo tot divitias acceperunt; Ergo ipsomet anima suæ benefaciat, nec aliis committat, quorum incerta est executio, sed quod tunc factum velit, jam fieri curet, ac faciat.